



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118456

§. 54. Marchio Mantuanus a Venetis captus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)

Sæcul. XVI. A.C. 1509. ambas hasce Provincias nuperrime recuperatas longa vallorum serie, quæ minoribus etiam vallis munierant, tueri ac præaltis fossis contra vim hostium, qui Veronam occupaverant, cingere iusserunt.

§. LIV.

Marchio Mantuanus a Venetis captus.

Marian. l. c. Ceterum cladis hujus dolorem haud parum temperabat inopinæ felicitatis nuncius; Franciscus enim Gonzaga Mantuæ Marchio, cum Veronæ cum Equitum turma Palissæo sese jungere pararet, a Venetis capiebatur; quippe nonnulli eorum, quos Andreas Gritus ducebat, uno impetu in præsidiarios ejus irruebant, cunctosque in captivitatem abstrahabant. Equidem fortuna Marchioni favebat; fuga enim dilapsus, atque inter segetes delitescens, insequentium solertiam aliquamdiu eludebat, jamque defervescebant inquirentium studia, cum ecce! cujusdam rustici, quem viæ ducem selegerat, perfidia proditus comprehenditur, ac veluti opimum victoriæ spoliū Venetias abducitur. Inde Veneti in immodicam effundebantur lætitiā, spe concepta, se hujus captivitate Liviani libertatem redempturos, qui in Agniadellano prælio captus a Gallis detinebatur.

batur. Hic enim tantam sibi apud Venetos fortitudinis, ac bellicæ artis laudem famamque conciliaverat, ut tanti Belliducis salutem Marchionis dispendio longe pluris haberent.

secul. XVI.
A.C.1509.

§. LV.

Fœdus, Papiensis Cardinalis ministerio, Papam inter & Galliarum Regem sancitum.

Interea summus Pontifex magis magisque Venetis favere cæperat, ac de eorum relictis foederatorum partibus, præcipue vero Regis Galliæ, cui alias minus propensus erat, Reipublicæ commodis, utilitatique serviebat, huncque in finem ad Ludovicum ablegabat Cardinalem Papiensem, cujus opera cum Rege ex Francia reduce novum foedus initum est, quo (*) cautum erat, ut ambo ad tuendas cujusque ditiones mutua suppeditarent auxilia, ac cuilibet liberum esset

Guicc. l. 8.
Raynald. hæc
ann. n. 21.

(*) Raynaldus loc. cit. testatur inter alia sancitum fuisse, Galliarum Regem nullum Principem, nullumve populum Romanæ Ecclesiæ clientem in fidem recepturum. Illud vero pactum Regem violasse, eoquod Ferraviensis patrocinium adversus Papam suscepisset, ex quo tot bella ac schismatis exordia pullulassent.